



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Explanatio In Psalmos**

Complectens Psalmos à 126 ad 150

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, 1765**

**VD18 15558428-001**

Psalmus CXXXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53443](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53443)



ampliùs nocere possit; nec Diabolum solum, sed & omnes carnales homines, piorum persecutores captivos faciet, quos alligabunt Angeli *in fasciculos ad comburendum*. Et sicut Dæmon parvulos Christi, h. e. eos, qui non creverunt, nec profecerunt in Christo, captivos facit: sic beatus est, qui parvulos Babylonix, h. e. eos, qui minùs creverunt in vitiis, allidit ad petram, quæ est Christus, occidens peccato, ut justitiæ vivant.

## PSALMUS CXXXVII.

**T**itulus: *David*.

*In græcis libris, quos nunc habemus, invenitur titulus Aggæi, & Zachariæ, sed videtur additus à Recentioribus: nam Hebræus tantùm legit: David; sed nec ullus veterum legit, Aggæi, & Zachariæ, nec Hilar., nec Hieron., nec Chrysof., nec Aug., nec Theodoret., nec Euthym.: itaque meritò contemnendus est.*

*Argumentum est gratiarum actio, quòd exaudierit Deus humilem orationem suam; & probabiliter videtur petiisse adventum*



ventum Messiae, & gratias agere, quod ex-  
auditus praeviderit, & praedicere potuerit  
Christi gloriam, & conversionem gentium.

v. 1. *Confitebor tibi Domine in toto  
corde meo; quoniam audisti verba oris mei.*

Pollicetur sacrificium laudis, & gratia-  
rum actionis, non verbis tantum, sed ex  
intimo corde, & summo mentis ardore,  
& pro beneficio omnium maximo, pro  
salute sua, & totius populi aeterna, eo-  
quod oratio sua sit exaudita.

v. 2. *In conspectu Angelorum psallam  
tibi, adorabo ad templum sanctum tuum,  
& confitebor nomini tuo.*

Declarat, confessionem suam fore  
talem, qualem requirit excellentia Au-  
ditorum. Scio, me psallentem tibi, ab  
Angelis, qui tibi assistunt, videri, &  
attendi, & ideo ita considerate me ge-  
ram in psallendo, ut qui intelligam, in  
quo theatro consistam. O si omnes hac  
attentione Deo Psalmos caneremus, vel  
orarem!

v. 3. *Super misericordia tua, & veri-  
tate tua, quoniam magnificasti super omne  
nomen Sanctum tuum.*

E

Hæc



Hæc erit materia canticorum meorum: In toto corde laudabo te super magnâ illâ misericordiâ tuâ, & fidelitate tuâ, quâ, sicut promisisti Patribus, misertus generis humani, *magnificasti Sanctum*, seu Christum *tuum*, dando nomen super omne nomen. Misericordia illa ineffabilis est, & in æternum prædicanda, cùm genus humanum depressum per peccatum usque ad inferos, Deus exaltaverit in Christo super omnes Cælos, & super res creatas; & sic implevit cumulatissimè veritatem suam, quâ promissis suis stare solitus est.

*Ps. 4. In quacunque die invocavero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem.*

Ex eo quòd *magnificasti Sanctum tuum*, confidenter peto, ut semper per illum Advocatum nostrum exaudias me, quocunque tempore *invocavero te*; nihil aliud peto, nisi ut robores animam meam, ut resistam cupiditatibus, ut tole-rem patienter adversa, ut ambulem semper in viâ justitiæ, ut vim inferam Regno Cælorum, ut ad eum, quem *magnificasti*, aliquando perveniam.

*Ps. 51*



¶. 5. *Confiteantur tibi Domine omnes Reges terræ, quia audierunt omnia verba oris tui.*

Dixit ¶. 3., *Magnificasti Sanctum tuum*, prædicens futurum per verbum præteriti temporis, more prophetico: sic jam prædicat futuram conversionem gentium, per modum imperantis, *Confiteantur &c.*: magnificato Sancto tuo per Resurrectionem, & Ascensionem, *confitebuntur tibi confessionem laudis omnes Reges terræ*, quia per Apostolos audierunt, quidquid Mundo revelare dignatus es.

¶. 6. *Et cantent in viis Domini, quoniam est magna gloria Domini.*

Pergit explicare mysterium vocationis gentium. Ambulabunt Reges, & eorum populi *in viis Domini*, non inviti, & mæsti; sed læti, & volentes cantando, *Quoniam magna est gloria Domini.* Cognoscent enim quotidie magis, ac magis, quàm magna Dominus fecerit, quàm magnificè glorificaverit Christum suum, caput nostrum, & quæ sint divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in Sanctos.



ψ. 7. *Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit.*

Hæc est magna gloria Domini, quòd cùm excelsus, imò altissimus sit naturâ, dignitate, potentiâ, sapientiâ, imperio; tamen *humilia* de proximo *respicit*, quia ad humiles descendit; & verè in Filio suo in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. *Et alta &c.* à superbis longè recedit, eos projicit à se, ut patuit in Diabolo.

ψ. 8. *Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: & super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, & salvum me fecit dextera tua.*

Quia Deus excelsus humilia benignissimè respicit, David conscius propriæ humilitatis, cum fiduciâ sibi pollicetur opem Dei in omni tribulatione. *Si ambulavero in medio tribulationis*, ita ut undique tribulantibus, & tentantibus cinctus sim, tu tamen vivum, illæsum, incolumem me servabis: nam (*& sæpe pro nam legitur*) *super iram inimicorum*, me undique circumstantium, & devorare cupientium, *tu extendisti manum tuam*, ut eorum furorem compesceres,  
&



& conatus impedires; & sic *salvum me fecit* potentia, & virtus tua, quæ est Christus.

*v. 9. Dominus retribuet pro me, Domine misericordia tua in seculum, opera manuum tuarum ne despicias.*

Explicat modum, quo *dextera Domini salvos nos facit*. Dominus, qui est *dextera tua*, retribuet tibi Deo Patri pretium pro peccatis meis, & inimicis meis vindictam: *Domine misericordia tua in seculum* durat, seu finem non habet; ideo peto, ut opera, quæ tu misericorditer inchoasti, inspirans fidem, spem, & charitatem, non deseras, sed conservando, augendo, perficiendo consummes.

### PSALMUS CXXXVIII.

**T**itulus: *In finem Psalmus David*. Titulus hic jam sæpe alias explicatus est ab initio Psalterii.

Argumentum *Psalmi* controvertitur; probabiliter voluit David admonere genus humanum, Deum esse magnum remuneratorem operum bonorum, & malorum contra severum Judicem; atque ut illud per-